Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3129
Quelle:
Copyright:

aurati *Genevieve*, *Uincent*, *Nicholas*, *Eloy*, *Louys*, *Leu*, id est Lupus Ep. Senonens. *Denis*, *Juo*, *Clement*; unde in *Gallia* adornatum *Codicem* credibile est. IV. Evangelia, Preces ad Deiparam, Horae de Ea peculiares, item peculiares de Passione Christi, quas nullibi videre me memini, quibusque subscriptum: *Johannes paruj*, non certe Theologus ille *Johannis Burgundici* ἀπολογητης, sed, ut puto, Scriptor Libri; Psalmi *de Poenitentia* cum Litaniis SS. Horae consuetae de Passione Christi, et de S. Spiritu, Officium Mortuorum, *les XV. Joyes* et *les VII. Requestes*, Missae de S. Spiritu, de Cruce, de Beata, pro Defunctis, cum Commemorationibus multorum Coelitum, quorum dignoscendis *Adtributis* opportunae sunt Icunculae marginem exornantes. In *Codicis* ἐξηγοδιωκτην inquirenti offert se *fol.* 196. Pica lemniscum rostro tenens, cui inscriptum: *Raugraue*. Igitur ad Stirpem hanc Comitum, etiam *Asperorum* et *Hirsutorum* dictorum, in *Leodiensi* ditione superstitum olim pertinuit.

DCCCXC.

953 Codex membraneus lat. gall. Sec. XV. Folior. 261. 4. maj. bene perscriptus, literis initiorum, et marginibus omnibus auro fulgidis, floribus, animalibus, et praecipue animalium monstris pene in infinitum variis ornatus, praeterea XIX. picturis sacris grandibus magnificus *Horarium* est ad regiam *Franciae* Domum olim pertinens, ut ex ornatu caeruleo liliis aureis conspersо quibusdam locis conspicuo argui posse videtur. *Calendarium* praevium sermone *gallico* exaratum *Maurum*, *Vincentium*, *Ivonem*, *Germanum*, *Eligium*, *Martinum*, *Ludovicum*, Reg. *Aegidium*, *Remigium*, *Dionysium*, *Marcellum*, *Genovefam* aureos habet. Orae illius praeter celebrium quovis mense Sanctorum icunculas, praeter Signa Zodiaci et Georgica pro duodenario numero exhibent totidem Prophetas, totidem Apostolos, illos textum quendam suum, hos articulum Symboli praeferentes, eodem modo *Paulum* aliquid e 12. Epistolis suis docentem, quorum in medio Ecclesia, et supra portam ejus Matrona, i. e. ipsa Ecclesia vexillum ostentans, in quo pictum mysterium singulis Symboli articulis contentum. Neque haec sine ingenio. Precum deinceps is ordo: Initia IV. Evangeliorum. Passio D. secundum *Johannem*. Horae B. M. V. *secundum usum ecclesie paris.* Horae per hebdomaden de Trinitate, pro Defunctis, de S. Spiritu, de OO. SS. de S. Sacramento, de Passione Christi, de B. Virgine, cui depictae inter alios Rex trabea caerulea auro liliata *fol.* 145. p. 2. adgeniculatur. Sequuntur Psalmi *de Poenitentia* cum Litaniis, in quibus multi *Galliae* Indigetes invocantur, *Oratio sancti petri de lucembourg cardinalis*, qui obiit *Avenione* a.